

W 4

Vetus

528



D. O. M.
ASSERTIONES PHI-
LOSOPHICÆ

EX LOGICA,
PHYSICA, ET META-
PHYSICA, SVB FINEM
CVRSVS PHILOSOPHICI

DISPVTANDÆ

IN CATHOLICA ET
CELEBRI ACADEMIA INGOL-

STADIENSI. Anno. clō. Is. xcliii.

die xxv. Iunij.



INGOLSTADII,

Ex Officina WOLFGANGI EDERI

ANNO clō. Is. xcliii.





EX LOGICA

DE PRINCIPIIIS MODORVM
DISSERENDI.

THESIS PRIMA.



Scientia modorum disserendi, quam primi eius obseruatores Dialecticam, à *διαλεκτική*; at veteres Peripatetici Logicam, à *λόγος* denominarunt, est practica actiua, & simpliciter ad reliquam philosophiam necessaria. Vt autem obiectum explicet facilius, Categorias pertractat, & propter has & propter ipsam dissertationem, vniuersale, quod definitur, Vnum aptum inesse pluribus.

2. Res vniuersales fiunt per relationem ad inferiora quintuplicem analogicè, Aut enim refertur aliquid, seu prædicatur de pluribus specie differentibus in quid, velut incompletè, cum sit Genus; aut de pluribus saltem potentia existentibus indiuiduis, etiam in quid, sed magis completè, & gignitur species: aut in quale; si essentialiter, Differentia; sin necessariò, efficitur Proprium; sin contingenter accidens. Quid tandem indiuiduum vagum? Nihil vniuersale est, quia vagum est.

3. Entia per se finita, completa, vniuoca & incompleta, omnia in decem classès coguntur; prima est rerum per se existentium, & nominum maximè in concreto eas significantium, Id primis secundisq; substantiis peculiare. Secunda rerum per se extensarum; seu permanentium; quæ sunt linea, superficies, corpus, seu successuarum, vt sunt motus ac tempus. Tertia eorum, quibus hoc ipsum est Esse, ad aliud se habere. Quarta continet primò genus quoddam habitui dispositionisq; comune; secundò naturales potentias & impotentias; tertio passiones atq; patibiles qualitates; quartò figuram & formam. Cæteri ordines comprehendunt cætera entia absoluta minimùm ratione à prioribus diuersa.

4. Enuntiatio in affirmatiuam & negatiuam diuiditur essentialiter, in cæteras accidentaliter. Solæ de contingenti, necessario, possibili, & impossibili indicant quomodo aliquid alicui insit. Propositiones contradictoriæ futurorum, neq; omnes, neque nullæ sunt determinatum veræ aut falsæ, accipienti determinationem à causa.

DE

DE SPECIEBVVS MODORVM DISSERENDI.

1. Simplicium apprehensionem dirigit ea oratio, quæ essentias naturasue declarat, eaq; sola, & passionis quidem, causalis; subiecti autè in potissimè essentialis, est medium demonstrationis; tamen ipsam formaliter nemo demonstrarit, aded neque illam, quæ conflata è causali & essentiali tantùm dispositione terminorum differt à demonstratione.

2. Secundam intellectus operationem dirigit oratio, qua totum seu quantum, seu vniuersale, seu essentialè, tam physicum, quam metaphysicum in suas partes diuiditur. Extremam speciem modorum disserendi partimur non quidem vniuocè, in Enthymema (à quo Exemplum & Inductio nihil nisi materia discrepant) & syllogismum exclusa conuersione &c.

3. Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam ab ijs, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, ed quòd hæc sunt. Tres figuras, & in prima indirectos quinque modos recipimus. Modi vtilis probantur per terminos in quibus omni, & in quibus nulli, non autem in quibus alicui, & alicui non.

4. Cum omnis doctrina, fiat ex præexistente cognitione, quid mirum si demonstraturum oporteat cognoscere prius de passione quid nominis, de subiecto autè & principiis e tiam quòd sint? De principiis, inquam, euidenrioribus per aliquam inductionem, immediatis tùm secundum se, tùm secundum nos, & causis essendi. Vniuniformem circulum negamus, difformè concedimus.

5. Habitus certus & euidens tunc gignitur, quando rem per causam cognoscimus, & quòd eius rei causa sit, & quòd nō possit aliter se habere; Vnus, qui vniuersobiecti formalis quo; subalternatus, qui præmissarum ostensionem ac subiectum, addito accidente, mutuatur. Theoria & praxis accidunt scientiæ, quam de nouo acquirendam, & non adnatam esse plus nimio experimur.

EX PHYSICA.

DE PRINCIPIIIS ET PASSIONIBVS

Corporis naturalis.

I.

Cum alibi, tùm in physica, quæ est scientia speculatiua corporis naturalis quæ tale, ratum habemus, verum vero nunquam contradicere. Natura est principium & causa motus & quietis, eius, in quo est primo per se, & non secundum accidens. Conuenit definitio hæc, analogia proportionis, materiæ, ac formæ; quæ idè rectè principia corporum naturalium, constitutiua numerantur; quibus in fieri, additur priuatio.

A 2

2. Materia

2. Materia prima est actus entitativus, ceteroquin pura potentia, per se ingenrabilis, vna numero per potentiam essentialiter ad substantiales formas refertur. Ab hac priuatio formaliter solum distinguitur. Forma nulla sublunari materiam coeua, nec in materia quoad aliquam inchoationem sui preexistit.

3. Causa est, ad cuius Esse aliud sequitur per se. Id quod materiam competit, quam formam ut sic sustentat, formam, quam materiam actuat; efficienti & exemplari, quam influunt modo quodam in effectum; fini, quam secundum Esse reale mouet motu metaphorico. A fine potissimum dependet naturalium rerum necessitas. Nullus effectus Deo aut caelo putatur fortuitus, licet absque his efficiatur plane nihil.

4. Prima corporis naturalis passio existimatur quantitas, a substantia re distincta, non itidem a figura: neque credendum eam ex indiuisibilibus, praeterquam infinitis actu componi. Motus definitur actus entis in potentia ut in potentia. Ergo essentialiter non est continuus. Vnitas numerica illius consequitur vnitatem mobilis, termini ad quem, & temporis; specifica, termini formalis & vltimati specifici; generica, praedicamenti triplicis, Quantitatis, Qualitatis, & Vbi. In reflexione ordinaria quies intercedit.

5. Tempus, quod est numerus motus, (non similiter quietis) secundum prius & posterius, metitur etiam substantias corruptibiles, ut aeternitas Deum, Angelos aeternum, & singulas eorum operationes. Nunc discretum. Locus, quem aiunt esse superficiem primam corporis continentis immobilem, locato aequatur, illud trahit, conseruat. Sola corpora loco circumscriptiue, vnus Deus loco nullo ambitur; idemque vnus potest idem corpus pariter locis pluribus circumscribere.

DE CORPORE SIMPLICI.

1. Mundus vno modo, pro simplicium corporum aggregatione accipitur; aliis modis aliter, pro aliis entibus, quam creatura & increata complectitur, est simpliciter perfectus intensiue. Quod si Deum excluderis, est in suo genere ita perfectus, ut idem specie manens haud queat fieri perfectior essentialiter.

2. Dormitauit Aristoteles cum dixit mundum aeternum; quia sic infinitum actu, adeoque contradictionem dixit; quanquam res permanentes ab aeterno creari praeter Auctoris voluntatem non video quid prohibuerit. Ecquis dubitet, quin eodem Effectore, quo mundus antehac vnicus extitit, plures mundi vnus, aliue speciei, successiue, simulue, possint existere?

3. Coelum habet materiam, longe aliam a nostra; Vnde corrumpi nequit, & formam, principia quietis, perinde ut motus, passiuam. Est quantum, & absque colore, sed lucidum, ac per lumen & influentias in sublunaria omnia, praeter animam rationalem, actiuam; maxime quoad densiores sui partes, quas ferè stellas vocamus, Diuiditur a Mathematicis, pro multiplicitate motuum

um, in mobiles orbes decem, omnes omnino sphaericos. Adduntur pro expositione τῶν φαινομένων Eccentrici, & aliquibus Planetarum Epicycli.

4. Elementum ita describimus: Est corpus primum, in quod omnia corpora resoluntur. E quadruplici motu specie diuerso recte colligimus primum ignem, qui Lunae contiguus; secundum aera, quem tribuimus in calidam & siccam, in frigidam seu mediam, in calidam & humidam regiones; tertium aquam; postremo terram, quae coniunctae globum faciunt, in medio vniuersi, immobilem.

5. Supposita primarum qualitatum proportione, manant e forma substantiali qualitates motuum, a quibus mouentur elementa, & mixta quibus elementa virtute inexistunt, instrumentaliter tantum; a seipsis autem immediate, ac velocius cum propius locum naturalem attingunt, in quo deinde amplius, neque grauant, neque leuant.

6. Ignis participat remissam siccitatem, calorem summum; aer humiditatem summam, remissum calorem; aqua remissam humiditatem, frigus summum; terra summam siccitatem, frigus remissum. Porro vnumquodque participat remissam absque admixtione contrarij; & cum omnia generabilia ex quocumque, magis tamen ex symbolo.

7. Generatio & corruptio ab alteratione distinguuntur, quod sint mutationes totius, nullo sensibili remanente, ut subiecto eodem. Nam in subiecto eodem materialiter, adeoque in genito & in corrupto, saepe inuenias idem numero accidens. Rarefactio cum parum materiae substet multae quantitati, & condensatio, qua multa materia substet paruae quantitati, sequuntur modo generationem, modo calorem aut frigus, modo solutionem, ac reducuntur ad praedicamentum quantitatis, ratione termini; a quo, non magis quam quilibet motus, re distinguuntur.

8. Alteratio est motus non nisi ad passionem aut paribilem qualitatem, continuus tam intensiue, quam extensiue. Huc reuocamus emanationes, antiperistases, reflexiones. &c. Qui substantias intendi, remittitque sibi persuaserit, necessario is generationem inter motus enumerauerit.

9. Actio dicitur proprie qualitas prima ut pendet ab agente dissimili, & immediato (quippe non agitur in simile quo ad gradum, non in distans) ut a patiente, Passio. Vbi vtriusque materia fuerit eiusdem rationis, dabitur secundum eandem partem & simul reciproca in agens actio patientis. Resistentia, quae maxima est in minimè actiuis, formaliter significat priuationem actionis, aut passionis.

10. Meteororum statuitur materia remota, ut plurimum terra & aqua; e quibus materia proxima, scilicet halitus duplices sicci & humidi exspirantur. Forma substantialis, eadem cum elementis, a quibus eleuantur, seu in quae conuertuntur, aut ex quibus commiscuntur; efficiens communiter astra; finis bonum & ornatus vniuersi.

DISPUTATIO
TVM DE ANIMA VNIVERSIM
tùm de vegetante.

1. Quære an sit anima, homini sano insanum videatur. Quid sit, afferatur 2. de anima text 6. cùm dicitur actus primus (quidni substantialis & informans?) corporis naturalis organici. Nullum hic locum sibi vendicant metallum, corallium, gemmæ, lapides. Funditur anima per totum corpus, quemadmodum & illius potentia, licet non in quavis parte illarum quæuis reperiatur.
2. Sanguis, cæteriç humores haud informantur ab anima, vt anima est; lac verò & semen, quia nihil ad substantiam animalis pertinent, ne secundum alium gradum, ab anima informantur, magis, quàm pili, vngues, & huiusmodi excrementitia; quæ tantum, additione partium crassiorum induratarum, adaugentur. Animarum genera sunt tria; animatorum quatuor; potentiarum quinque intellectuum, loco motuum, appetituum, sensitiuum, vegetatiuum. Hæ finem fortiuntur, ipsos actus: materiam in qua, si materiales compositum; si immateriales, animã, ex qua emanant.
3. Potentiam nutritiuam prodit adgeneratio partium in viuente facta, ex alimento intus recepto, ab anima vegetante. Elementa nego esse alimenta. Vltimũ alimentũ, q̄ vterius vniuersali mutatione nõ mutatur, est sanguis generatus in hepate. Nam generatus in sinistro cordis ventriculo arterialis, tantummodò confert effectiuè nutritioni, sicut & alijs animæ operibus. Nutritioni subserviunt stomachus, iecur, lien, cor, & similia.
4. Consistit augmentatio in acquisitione continua nouæ quantitatis, dũ alimentum conuertitur. Hic requirimus primò, vt quæcunque pars aucti aucta sit; Loquimur de augmentatione viuents completa, in qua omnes partes tam spermaticæ, quàm non spermaticæ, tam porosæ, (nisi fortè pori ipsi & cavitates nuncupentur partes porosæ) quàm non porosæ augentur: secundò, vt aucta sit per adueniens quantum; tertio vt auctum permaneat numero idem secundum formam, hoc est, speciem, vel figuram. Paulò aliter de homine ratiocinamur.

DE ANIMA SENSITIVA.

1. Quantitas, motus, quies, figura, & numerus sensibilia per se, vocantur communia, & per communem sibi & proprijs sensibilibus speciem cognoscuntur. Non sentiunt animalia nisi patiente & agente sensu. De visu hæc asserimus: Habet pro obiecto qualitates positivas, colorem aut Inmen, pro sensorio pupillam, tribus humoribus, & quinque tunicis opere mirabili septam, sex musculis ad motum egregiè instructam. Obiecto incumbit producere in medio species intentionales, vsq; ad sensorium: quibus intro-

PHILOSOPHICA.

- intromissis, tùm visio fit, cùm à visiva animaduertuntur, & quodammodò æstimantur.
2. Sonus ex percussione corporum in aere & aqua ortus aliquandiu realiter, vbiçq; intentionaliter multiplicatur, ibi aded, vbi concaua pulsu saxa sonant, vocisçq; offensa resultat imago. Vox est sonus animalis, ex istu aeris respirati ad asperam arteriam, productus ab anima, cum imaginatione significandi.
 3. Veluti sapores oriuntur ex humido prædominante, ita odores à prædominio ficci, permeantes aquam & aerem quandoçq; cum exhalatione, aliàs intentionaliter tantum. Olfactus organum in respirantibus sunt millares caruncula, in alijs aliud assignandum videtur.
 4. Anteriore lingua præcipuè gustamus. Hac potentia nullum animal destituitur, quantumuis vnun altero gustata penitus discriminet. Tactus in parte similari hærens v. g. in carne, aut in aliquo carni proportionato, percipit nõ modò primas sed alias etiã qualitates tangibiles. Vtriçq; dictorũ sensum illud commune est cum prioribus, capere species intentionales: hoc singulare à prioribus, carere medio externo.

DE ANIMA RATIONALI.

1. Potentiæ sensitiuæ externæ quinario numero definiuntur. Internæ ad binarium contrahuntur, sensum videlicet communem, atq; phantasiã. Illa cerebro anteriori inhærens omnia aliorum sensu obiecta cognoscit, comparat, & distinguit, & ab humoribus oppressa, vel concursu spirituum vitalium necessario destituta, in animalibus somnum efficit. Altera posterior cerebri occupans, per suscepta à sensu communi phantasmata operatur obiecto absente, nõ sensatas elicit species, vtraçq; conseruat, sensu communi oppresso textit somnia, alias potentias ad opus excitat, & immediatè intellectui famulatur.
2. Anima rationalis, partim ex sententia Aristotelis, partim euidentis rationis iudiciò, est immortalis, & nõ educta ex potentia materiæ, sed ab ipsomet gloriosissimo Deo creata, in corpore primùm, nihilominus à corpore independenter, esse incipit: eminenter est vegetatiua, & sensitiua, cùm reliquæ ad diuisionem subiecti diuidantur, hæc omnino indiuisibilis est.
3. Huius potentia quædam inorganica est intellectus agens, cuius officium est, producere, auxilio phantasmatorum primas species intelligibiles. Inde intellectus possibilis à superiore distinctus per has impressas species ab agente, aliasçq; à se elicitas, singularia, seipsum, Intelligentias, & quicquid habet rationem entis, quoquo modo intelligit; solum autem ens corporeum perfectè, & per se primò.

EX METAPHYSICA.

I

Prima Philosophia, quæ inscribitur μετὰ τὰ φυσικά est vna species sciētia Entis (puta realis ac per se) vt Entis. Speculatur omnes primas causas; dantur enim primæ; imo infinitæ in causis essentialiter subordinatis dari neutiquâ possunt. Entis conceptus formalis præciditur ab inferiorū conceptibus re simpliciter; at secundū quid ratione; obiectiuus neque re, neq; ratione. Hinc probatur esse analogū & attributionis & proportionis.

2. Ens acceptū proessentia, de inferioribus suis & de vltimis differentiis, & quibusdam inferiorum passionibus, non autem de suis affirmatur in quid. Non ita affirmatur existentia de creaturis; quæ distinguitur ab essentia, non tamen realiter, neque formaliter, sed vt modus intrinsecus.

3. Ab ente profluunt trinae simplices ac veræ passionēs, quarum prima: vnum reale, per se, & absolutè, quod addit Enti negationem diuisionis, quodammodo priuatiuam. Secunda, Verum, quâ significat conformitatem rei cum intellectu Diuino. Alioquin per attributionē dicitur primò de intellectu veritate, eaq; tùm in prima operatione, tùm in compositione ac diuisione. Tertia Bonum, quâ est conuenientia cum Deo. Cæterùm & veritas & bonitas sunt relationes rationis.

4. Iubet Aristoteles inuestigari à Metaphysico principia essendi Entis ne? Passionum Entis arbitror. Nam ens vniuersaliter non habet principia, nisi cognoscendi, quorum primum complexum istud esse opinamur: Impossibile est simul esse, & non esse. Quamuis remotū & physicū indiuiduationis principiū, sit materia signata; proximum tamen atq; intrinsecū, commune substantiis & accidentibus, quid aliud sit quàm differentia quædam positiua primò incommunicabilis? quæ indiuiduans vocatur.

5. Mero lumine naturali potest ostendi, quòd sit ens illud, q; à physico primus Motor, à Metaphysico prima Causa, & à nobis Deus Opt. Max. appellatur eumq; in essentia infinitū, & in actionibus liberū esse. Putauit Aristoteles primū mobile absq; alterius Intelligētie concursu, à primo Motore moueri: Nos in eâ abimus sententiam, quæ asserit, Deum immediatè quidem motum hunc efficere, vt omnem omninò effectum,

omnium agentium particularium; nihilominus totum eundem motum immediatè ab vna Intelligentiarum produci.

Cum facultate Superiorum.

LAUS DEO & B. VIRGINI.